

63. QUÆST. 6. An sit impedimentum dirimens celebrare Matrimonium temporibus prohibitis? De quo, *hic quest. 5.*

64. QUÆST. 7. An prohibeatur consummare Matrimonium his temporibus, quod jam præcessit contractum? De quo, *hic quest. 5.*

65. QUÆST. 8. Quâ pœnâ sint puniendi, qui tempore prohibito contrahunt Matrimonium? De quo, *hic quest. 5.*

66. QUÆST. 9. An de licentiâ Ordinarii valeat his temporibus prohibitis sine solemnitate Matrimonium celebrari? De quo, *hic quest. 5.*

67. QUÆST. 10. An benedictio conjugum sit necessariò exhibenda à proprio Parocho? De quo, *quest. 5.*

68. QUÆST. 11. An benedictionem nuptialem omninò omittere sit tantum peccatum veniale? De quo, *quest. 5.*

69. QUÆST. 12. An benedictiones nuptiales in secundis nuptiis possint recipere, qui in prioribus acceperunt? De quo, *hic quest. 5.*

70. QUÆST. 13. An Parochus proprius debeat recipere eleemosynam occasione benedictionis, & non alius? De quo, *quest. 5.*

71. QUÆST. 14. An Sacerdos tam Sæcularis, quàm Regularis conjungens in Matrimonium, vel benedicens subditos alterius parochiæ absque licentiâ, maneat suspensus ab officio? De quo, *hic quest. 5.*

72. QUÆST. 15. An Sacerdotes Regulares Matrimonia ministrantes, seu solemnizantes, non habita super his parochialis Presbyteri facultate speciali, ultra suspensionem, ipso facto sint excommunicati? De quo, *hic quest. 5.*

73. QUÆST. 16. An benedictio conjugalis debeat necessariò fieri inter Missarum solemnias? De quo, Authores pro *quest. 5.* adducti.



DE

TRAUO

## DE DIVERSIS CONJUGII LEGIBUS.

## DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-TERTIÆ SYNOPSIS.

*Cura sacra sobolis, non execranda libido,  
Patribus uxores suasit habere duas.*

Sic incipit: *Quæritur hic.*

Sic terminat: *Aliquando malum est.*

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de usu, & solutione conjugalis debiti; sed in præsentia determinat de multiplici lege, quâ antiqui Patres in ordine ad Matrimonii usum, ante legem veterem, sub hæc, & Evangelicâ utebantur: ergo rectè hæc cum superiori cohæret distinctio.

2. Consequentia probatur: Prius est statuere rem, quàm de illius multiplici usu, secundum varias statuum leges, differere, ut passim ex jure tum Canonico, tum Civili habemus, eò quòd usus rei ipsam necessariò præsupponere debeat: ergo prius erit, usum & solutionem conjugalis debiti statuere, quàm de multiplici, & variâ lege circa illum differere; sed Magister postquam de conjugalis debiti usu & solutione licitè perficiendo, egit; illicò & immediatè de multiplici lege, quâ antiqui Patres in ordine ad Matrimonii usum, ante legem veterem, sub hæc, & Evangelicâ utebantur, determinat: ergo aptissimè processit.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ, plures habere uxores, fuisse Patribus antiquis concessum, valde ostendit Magister. In secundâ verò, continentiam conjugalem Abrahæ virginali castitati Joannis assimilat. In tertiâ autem, & ultimâ declarat, qualiter Evangelii tempore virginitas fecunditati præponatur.

4. **P**RO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hoc primum præfigitur assertum: *Ex dispensatione divina antiqui Patres plures habuerunt uxores.* Ante cujus probationem sedulo inquit Magister: An uxorum pluralitas fuerit aliquandò licita? Exindequè, utrum antiqui Patres plures uxores sine peccato, sive concubinas habuerint? Et respon-

Tom. V.

D

pon-

pondet, quòd pro temporum varietate, varias fuisse à Deo conditas, gratiâ dispensandi in polygamiâ, leges, ut ex asserti propagatione lustranti constabit.

5. Præterea, irrefragabili divinoque Genes. cap. 2. testimonio inhærens Magister, catholice statuit, quòd à mundi exordio unus unam duxit uxorem, & hæcenus observatum foret, si primi parentes ab Innocentiâ auspiciatissimo statu non deviasent: Nam inter filios eorum, & filias unus uni adhærebat, cum nec aliæ essent mulieres.

6. Probat primò assumptum Magister ex Augustino lib. de bono conjug. cap. 15. sic in ejus subsidium venuste alloquente: *Antiquis justis non fuit peccatum, pluribus foeminis uti.* Sed idèo pluribus uti foeminis, antiquis Patribus non fuit peccatum, qui per singularem Dei dispensationem concessa fuit ipsis polygamiâ: igitur ex dispensatione divinâ antiqui Patres plures habuerunt uxores.

7. Secundò, id ipsum ex Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 4. suadet Magister: *Dixit Sara ad Abraham: Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam: Intra ergò ad ancillam meam, ut filium facias ex ea; & ita factum est.* Sed si Dominus in polygamiâ olim non dispensasset, nec Sara diceret ad Abraham, ut ad ancillam suam intraret; nec Abraham ipsi adhæreret, ut ex eâ filium haberet: ergo quia Patribus antiquis fuit concessum ex divinâ dispensatione plures uxores habere.

8. Tertio similiter ex variis sacrae paginæ locis probat Magister, & præsertim ex Geneseos cap. 16. 29. & 30. ubi Abraham vivente uxore ad ancillam intravit: Jacob etiam liberis, & ancillis se copulavit: Et filia Loth, patre ebrio usæ sunt; sed non videtur consonum rationi, tantos ac tam sanctos antiquos peccasse Patres: ergo quia pluribus posse uxoribus uti, haud dubie ex divinâ dispensatione fuit olim Patribus datum.

9. Quarto, etiam ex hac congruentiâ probat assertum Magister ipse: Ideò Deus antiquis Patribus plures permisit habere uxores, quia processu temporis omnes penè homines ad idola declinabant, & ne Dei cultus, & notitia ex eorum paucitate deficeret: ergo quòd plures dicerent uxores Patres, divinitus consultum est, eò quòd non lasciviendi causâ, sed gignendi hoc facerent.

10. Quintò, ex aliâ etiam non levi congruentiâ suadet: Tunc enim, sicut postea in lege, maledicta erat sterilis, quæ non relinquebat semen super terram. Hinc & Sacerdotibus conjugia permisa fuere, quia in successione familiae successio erat sacerdotalis officii: ergo cum ferè cuncti homines falsis diis fervirent, ne pauci in cultu Dei permanentes

penitus collaberent, plures in Matrimonio posse antiquos Patres copulare sibi uxores, olim permisit Dominus; ac proindè licita fuit ipsis polygamiâ, sive uxorum pluralitas.

11. Oppones primò ex ipsâ Magistri litterâ: Primus omnium Lamech legitur duas simul habuisse uxores, ut ex cap. 4. Genes. satis expressè constat; sed hoc in ipso rigide arguitur: ergo quia plures habere uxores non fuit olim Patribus permillum.

12. Respondet Magister: quòd Lamech non reprehenditur, quia plures sibi simul copulavit uxores; sed quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur: At qui eas ducebat studio quærendæ posteritatis, propagandæque prolis; & non gratiâ alicujus ardoris, vagæ, libidinis, aut petulantis formæ decoris minimè objurgantur.

13. Oppones secundò ex Magistro illud Deuteronomii cap. 17. *Non habebit Rex uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus.* Super quem locum sic Augustinus lib. 5. in Deuter. alloquitur: *Manifestum est, Salomonem hoc præceptum transisse.* Sed dum adest præceptum de pluribus non copulandis uxoribus, non licet eas ducere, ne divinum transeat, dissolvaturque præceptum, quemadmodum Salomon fecit: ergo in polygamiâ, sive uxorum pluralitate nunquam cum antiquis Patribus olim dispensavit Dominus.

14. Respondet Magister ipse, præceptum Deuteronomii non plures habere prohibuisse uxores, eò quòd David absque ullâ præcepti transgressione eas habuisse legatur; sed dimtaxat prohibuit plurimas habere, quas sic Salomon habuit contra præfatam Deuteronomii legem. Vel aliter valet comiter interpretari præceptum, nempe, plures prohibuisse uxores, non fideles, sed alienigenas, nè à cultu veri Dei cor Regis averterent. Hæc etenim solutio valde consonat divino Augustini nutui, prout ex textus litterâ non incongruè deprehendimus.

15. Oppones tertio: Usus plurium uxorum reverà est contra fidem Matrimonii, quæ est unum ex triplici illius bono; sed quòd fidei Matrimonii, sive alicui illius bono adversatur, nequit licite fieri: ergo cum polygamiâ, sive uxorum pluralitas sit contra fidem Matrimonio debitam, non potuerunt antiqui Patres usum plurium uxorum licite habere.

16. Respondet Magister, fidem Matrimonii, sive illius bonum tunc integrum fuisse, quia non aliis, quàm uxoribus copulari licebat, sicque polygamiâ, sive uxorum pluralitas debitam Matrimonii fidem, bonumque illius rescindere, aut fœdare non poterat.

17. Oppones quartò: Voluptatis conjugalis immoderatus affectus culpabilis est; sed polygamiâ, sive plurium uxorum usus immoderatum

voluptatis probat affectum : ergo plurium uxorum usus culpabilis est; sed quod culpabile est, licitum non autumatur: igitur uxorum pluralitas nunquam licita fuit.

18. Respondetur negando Minorem & Consequentiam. Quia affectus plurium uxorum apud antiquos Patres inmoderatur non erat; quia tunc conjugalis voluptas, non libidinis causâ, sed generationis studio quærebatur; quemadmodum delectatio cibi nunc licita est, dum non gustus gratiâ, sed necessariâ sustentationis exquiritur causâ.

19. Oppones quintò: Ex nullo sacræ paginæ loco constant, Deum dispensasse in polygamiâ, sive uxorum pluralitate; sed si ex divinâ dispensatione antiqui Patris plures habuissent uxores, ex aliquo Scripturæ sacræ constaret loco: ergo dum non constat, non incongruè deducitur, præfatam uxorum pluralitatem non fuisse Patribus licitam.

20. Respondetur negando Minorem & Consequentiam. Quia licet hæc dispensatio non fuerit facta per loquutionem aliquam divinam, aut Scripturam sacram, cum nulla hætenus exhiberi valeat; tamen fuit facta per peculiarem inspirationem, ut passim sustinent Doctores ex quadam Innocentii decretali, quæ habetur cap. extra de divort. Undè, solum pro Hebræis hæc fuit dispensatio data: quia soli populo suo dilecto, ex quo Messias venturus erat, id concessit, ut ex tunc exiguus ille populus multiplicaretur sicut arena maris; proindeque uxorum pluralitas Gentilibus fuit illicita, quanquam ex ignorantia, aut bonâ fide plerumque à culpâ excusarentur.

21. Oppones sextò: In polyviriâ, sive quòd una plurium virorum sit uxor, hætenus non dispensavit Deus: ergo cum mulier una plus valeat pluribus inservire viris, quam è conversò vir unus uxoris pluribus, si in polyviriâ sive virorum pluralitate non dispensavit Deus; nec in polygamiâ, sive uxorum pluralitate dispensare debuit.

22. Respondetur negando Consequentiam, & simile cum Seraphico Doctore. Quia si una esset plurium virorum uxor, nulla reverà foret utilitas; cum unus possit plures fœcundare fœminas; & non una à pluribus fœcundari viris: Deindè, sic deficeret bonum Sacramenti; quia una anima non duobus viris; tametsi Christus Dominus multis copuletur animabus: Demùm, esset incertitudo prolis, & confusio hæreditatis, ut ex se liquet. Cum ergò hæc, & alia non sequantur incommoda ex polygamiæ dispensatione, quæ ex polyviriâ consequuntur, valet Deus dispensare in uxorum, & non in virorum copiâ sive pluralitate.

23. Oppones septimò: eadem modò, ac olim in lege veteri, viget causa pro licitâ polygamiæ dispensatione; sed in lege Evangelicâ modò

dò non licet polygamia: ergo nec in veteri fuit licita. Major probatur: Multiplicatio prolis propter cultum Dei fuit olim præcipua causa pro licitâ polygamiæ dispensatione; sed hæc causa modò penitus subsistit; cum cultus Dei omni tempore sit multiplicandus: ergo eadem modò, ac olim viget causa pro polygamiæ licitâ dispensatione; proindeque cum nunc non liceat, adhuc eadem stante causâ, nec olim licuit.

24. Respondetur negando Majorem, & probationis Minorem unâ cum Consequentia. Nam licet olim fuerit licita polygamia, ut cultus Dei cresceret; tamen modò non licet, etsi cultus Dei omni in tempore sit multiplicandus; quia tunc non per vocationem, sed per successivam crescebat cultus, eò quòd Hebræis hæc lex solitariè tradita fuerit; quod reverà in lege Evangelicâ non contingit; in quâ per successionem cultus Dei non augetur; atque adeò olim fuit licitum, quod modò non licet.

25. Ex his hætenus in asserti tutamen traditis, infert primò Magister, conjugium cum consanguineis non semper, & ubique fuisse licitum. Quia etsi à mundi exordio filii Adami cum sororibus suis licitè copularentur, eò quòd natura humana aliter propagari non poterat; postea tamen legis tempore, ut constat ex Deuter. cap. 27. expressè interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, novercâ, sorore, nepte, amitâ, materterâ, nuru, & aliis quibusdam.

26. Secundò, etiam consentaneè iis deducit Magister ex Deuter. cap. 24. Moysen permisisse divortium fieri, dato libello repudii, in quo vir scribebat causas, pro quibus uxorem repudiabat, ut facilius, commodusque jurgia, & homicidia caverentur. Tertiò tandem subinfert; quòd in lege gratiæ jam redacta est illa nuptiarum lex ad priorem, honestioremque institutionem, ut unus uni; in figurâ Christi Domini, & Ecclesiæ, conjugantur. Et hæc de primâ distinctionis parte sint satis.

27. PRO SECUNDÆ verò partis declaratione, hoc secundum proponitur assertum: *Non est preferenda virginitas Joannis, sive legis gratia castitas virginis castitati conjugali Abrahæ, aliorumque antiquorum Patrum.* Quod expressè terminis præfigit Magister in litterâ, dum antiquorum Patrum conjugii merita valde commendat, & supra virginalem castitatem summoperè extollit.

28. Primò probat Magister ex M. P. Augustino lib. de bono conjug. cap. 21. sic seriò ac profundè rem meditante: *Sicut non est impar meritum patientie in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est: sic non est impar meritum continentie in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genuit.* Sed dum meritum patientie

ria in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est, non est impar, revera meritum patientia Petri non est preferendum merito patientia Joannis: ergo si meritum continentia in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filius genuit, non est impar, sane virginitas Joannis non erit preferenda castitati conjugali Abraham.

29. Secundo, id ipsum ex Hieronymo lib. 7. contra Jovinianum, his tanti ac Maximi Doctoris statuit verbis: *Quis ignoret, sub alta dispensatione Dei omnes retro sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in conjugio, sic nunc virgines placent in castitate.* Sed dum sic Abraham ante placuit Deo in conjugio, ac nunc virgines in castitate placent, meritum continentia conjugalis Abraham omnino superat merito virginalis castitatis legis Evangelicae censetur: ergo non est ex quo virginitas Joannis sit major in merito castitate conjugali Abraham.

30. Tertio, etiam ratione pertentat suadere assertum Magister: Si virginitas Joannes, & Abraham connubium, quae pro temporum distributione Christo Domino militarunt, aequalitate in merito non pollerent, maxime, quia Joannis continentia fuit actu, & Abraham continentia in solo habitu; sed est Joannis continentia sic actu, & Abraham in solo habitu, non est minor castitas conjugalis Abraham castitate virginali Joannis: ergo in merito, ex continentia virtute habito, non impares, sed pares censentur.

31. Minor probatur: Non minus continentia actu dicit privationem totius coitus actu, ac continentia in solo habitu dicat facilitatem, simulque voluntatem, sive affectum abstinendi ab omni coitus actu; sed facilitas voluntatis, sive affectus abstinendi ab omni coitus actu, una cum continentia nuptiarum, quae stat in usu moderato coitus, & quae miro modo eluxit in Abraham, non est minus pretio digna, quam continentia actu Joannis, eod quod haec actu, illa vero non habitu tantum, verum & usu fuisset: ergo castitas conjugalis Abraham, est solo in habitu & usu, non est minor continentia Joannis, quae fuit actu.

32. Quarto: Usus conjugii id veteri lege gratior Deo erat, quam virginalis continentia, ut lustranti sacram paginam constabit: ergo & continentia conjugalis Abraham potuit esse equalis meriti, ac virginalis continentia Joannis. Consequentia probatur: Una cum usu conjugali potest esse affectus continentia virginalis, in quo consistit talis virtutis meritum, cum nulla ex hoc repugnantia sequatur; sed Abraham una cum usu conjugali habuit affectum continentia virginalis, ut passim sustinent Patres: ergo non imparis meriti arbitratur castitas conjugalis Abraham, ac virginalis Joannis castitas.

Sed.

33. Sed oppones primo: Circa difficile, arduumque semper vera versatur virtus: ergo circa majus arduum, major versabitur virtus; sed magis arduum videtur, quod quis penitus se abstineat ab omni coitus actu, quam aliquando tantum: ergo si Beatus Joannes mirifice se abstinuit ab omni coitus actu; secus Abraham, qui filios genuit, mira illius virginitas valde praestantior erit omni continentia conjugali.

34. Respondetur ex Augustino, & Hieronymo supra allegatis negando Minorem, & Consequentiam. Nam etiam secundum statum gratia, ubi ventris fecunditas non requiritur, sed sanctitas, incorruptio, & puritas mentis, virginitas sit preferenda castitati conjugali, quemadmodum miris modis castitas virginalis Joannis supra omnem continentiam conjugalem eluxit; tamen si in statu veteris legis continentiam conjugalem una cum affectu castitatis virginalis meditemur, & in tempore gratia virginitatem, sicut una qua que virtus in suo optimo contingit contemplari, revera tunc status statui non praefertur, nec meritum merito; dum tamen charitas sit aequalis, ut de Joanne, & Abraham pro statuum diversitate opinamur.

35. Oppones secundo: Virginitas Divi Joannis ita valde tempore gratia extollitur, & summopere ab Evangelistis celebratur, ut propter ejus insolitam, miramque castitatem virgo fuerit electus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus, ipsique Christus in Cruce Matrem suam Virginem Virgini Joanni commendaverit; sed haec, aliaque egregia praconia, quae passim Joanni aptantur, satis superque probant, continentiam virginalis Joannis cunctam utriusque status nova ac veteris legis superexcedere castitatem conjugalem: ergo ejus virginitas preferenda est castitati conjugali Abraham.

36. Respondetur negando Minorem & Consequentiam. Quia quanvis haec, aliaque innumera encomia de mira Joannis virginitate referantur, convincantque intentum respectu continentia conjugalis, sive cujuscunque alterius coelibatus tempore gratia; non vero dum hic status nova legis statui veteris comparatur, in quo sanctissime, ac castissime vixit Abraham, & in quo omnes gentes benedicuntur, ut innuit sacer textus Genes. cap. 12. Perpendite quales Patrum testimonia in asserti tutamen apposita, pro aliarum objectionum accommodata solutione. Et haec de secunda distinctionis parte sufficiant.

37. PRO TERTIA autem, & ultima distinctionis partis indagine, hoc tertium statuitur assertum: *In nova lege fecunditati virginitas praefertur.* Quod etiam adducit Magister in littera sub apposita verborum serie; & licet in ejus subsidium nullum expresse afferat fundamentum;

tum;